




Fruticetum carminum, Iohannis Delphij.

<https://hdl.handle.net/1874/456824>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**


More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board





1704
De la ma hait





X qu 95 del 1-12


goustaurend 21-g-2001

Universiteitsbibliotheek

Utrecht

Litterae Latinae

Quarto n°. 95.



N 123. C.

h
No. 204. y
FRVTICETVM
CARMINVM,
IOHANNIS DELPHII.



ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot.
ANNO M. D. LXXXII.

Ex Donatione unib. à Büchel.



AD LECTOREM.

Quæ puer, aut iuuenis, uel quæ vir carmina fœci,
Dum placidas, curru vel rate, carpo vias:
Nunc fieri pueris patior commnna, quorum
Emulus hæc vincat, non imitanda labor.
Sed quia conueniunt, non omnibus omnia, legi
Quædam, quæ pueris non nocitura puto.
Et si scribendo nequeo prodesse, cauebo
Nenoceam, nec enim debeo velle minus.
Plura quidem multo, quàm nunc vulgata leguntur,
Composui, nolim quilibet illa legat.
Multa nocent, quia sunt intempestiua: iuuarent
Hæc eadem multos, tempore lecta suo.
Omnem materiam, sumpsi mihi carminis ansam:
Siue prophana fuit, seu fuit illa sacra.
Hæc ego dum meditor, dum parua negotia sector:
Abstineo magnis, hac ratione malis.

Omnis homo.

Non est scribendi finis neq; multa loquendi
Torquemus varijs, pectora nostra modis.
Omnia quæ possunt scripto, vel voce referri
Si volumus verbis, dicta duobus erunt.
Nempe, Deum timeas, mandataq; tradita serues
Saluus in hoc vno, redditur omnis homo.

Sua quisq; querit.

Omnes quæ sua sunt, quæ Christi nemo requirit
Quâquàm qui Christum quærent, quæ sunt sua quærent
Et qui non quærent, hi nec quæ sunt sua quærent,
Nec Christus tales in mundi fine requireret.

Corrector alieni.

Sunt multi in scriptis alienis ingeniosi
Arte, sed in proprijs, ingenioque carent.

Furtivi colores.

Carmina si passim conflare aliena probatur
Et laudem ingenij, tale meretur opus:
Quantus ero? magnum, quia sic æquare Maronem
Et par Nasoni, versibus esse queo.

Solamen Amici.

Tempore non fausto, cum tristi scribis amico,
Fac illi certam, pollicearis opem.
Quam si forte nequis præstare, dolentis amici
Solando grauibus, fac medeare malis.
Quisquis vtrunque potest, etiam præstabit vtrunq;
Spem faciet certam, suppetiasque feret.

A ij

Natura boni.

Nulli non Fabius quæ sunt bona, posse placere
At fieri, placeant v t mala, posse putat.

Ætas apta studijs.

Vult leues malas, & glabrum pectus Apollo
Indociles animos, hispida barba refert.
Indociles dico, ne quis me dicere credat
Indoctos, tantum discere barba vetat.
Non prohibet didicisse, sed incipientibus obstat
Et rigidæ mentis, possidet illa notas.

De seipso.

Quinquaginta, die, versus componimus, vno
Præstiterat saltem composuisse decem.

De malis & bonis.

Socrates cœlestia, rectè agenti
Regna decernit, malè agenti in omne
Seculum, nigras tenebras Deorum à
Sede remotas.

De Iuuenico.

Hispanus natus generoso patre Iuuenicus
Presbyter, in versus Euangelia omnia, verbo
Vix commutato, magna cum laude coëgit.
Et Constantino clarus sub principe vixit.

Epitaphium Claudij Petri.

Claudius excelsi migravit ad atria cœli
Ingenio magnus, nec pietate minor.
Hunc genuit Chermis, placido vicina Mosellæ,
Doctorem populis, Christicolisq; ducem.

Hunc

Hunc mirata fuit doctum Germania vatem
Quotquot & illius, nunc quoque scripta legunt;
Hanc ædē postquam duo lustra gubernat & annū
In Christo moriens, hac requiescit humo.
Attu qui præsens legis ista, precare sepulto
Latus in extremo surgat vt ille die.

De genere sermonis.

Quis deceat, sermo verbis vel qualibus vti
Conueniat, memini, multos mihi sæpe rogatos
Tandem quærenti respondit Quintilianus
Vtere sermone vt nummo, cui publica forma est.

De Matre virgine.

Cœlitus emissio maduit virguncula rore
Hac vna, melior, fœmina nulla fuit.
Hoc habuit meritò diuinæ prolis in orbem
Quam dedit, & virgo mansit, vt ante fuit.
O igitur summo, virgo dilecta Tonanti
Iure sonent laudes, secula cuncta tuas.

Malum patrocinium.

Dauid exemplo, sibi blandiuntur,
Quos capit coniunx aliena, sed non
Eius exemplo properant patratum
Plangere crimen.
Quos amor vitæ, leuis aut honoris
Vrget vt Christum libeat negare
Hi sibi Petrum faciunt iniquo
Iure patronum.

Sic & in multis alijs solemus
Perperam ductis, aliunde nostra
Crimina, exemplis, tegere & maligna
Facta tueri.

Terramater.

Iure bono tellus pia mater vbique vocatur
Nutrit viuentes, eadem recipit morientes,

Salutatio Angelica.

Quam licet, hanc, virgo castissima porto salutem
Dotibus & summi, numine plena Dei.
Est Dominus tecum, cuius virtute reguntur
Omnia, quo metuas vindice tuta nihil.
Fœmina te non est præstantior altera, nam tu
Digna parens magno, sola reperta Deo.
Hæc etiam proles, te virgine nata parente
Nomen, quo nullum fortius extat habet.

Sermo oportunus.

Vt placet hortus habens argenteus aurea mala:
Tempore dicta suo verba perinde placent.

Deus ignavos non exaudit.

Impiger ipse Deus vota auersatur inertum
Odit, vbi tepido pectore verba fluunt,
Orantis gaudet, velut improbitate coactus
Grandia, munifica, spargere dona, manu.

Cantiones Bethlehemitica, ex Hieronymo.

Voce sub astra iacit Dauidica carmina messor,
Dum graue sudanti corpore versat onus.

Et

Et canit e Psalms aliquid, qui vitis acuta

Falce putat, nimias luxuriantis opes.

His, vbi prima recens geniti cunabula Christi,

Carminibus resonant æthera, rura, domus.

Ora nec in turpes, Paphiæ soluuntur amores,

Pro quibus hic linguam lectio sacra mouet.

Ebrietas loquax.

= Sobria quod tenuit mens, non tacet ebria lingua

= Temperet à nimio, mens scelerata, mero.

Sententia Epicurea.

= Extincto nullus superest à corpore sensus,

= Vtraq; pars hominis, cum perit, vna cadit.

= Mors animam, misero pariter cum corpore tollit,

= Opprimet & partes, vna ruina, duas.

Fida virtus, Fallax voluptas.

= Si fueris duro conatus honesta labore,

= Protinus ipse labor transit, honesta manent.

= Sed si turpe aliquid suauis patrare voluptas,

= Quod turpe est hæret semper, vt illa fugit.

De Germanica sumptuositate.

Quod magno constat, Germania fertur amare

Gallia quod paruo venditur, illud amat,

Hic merito dubites vtrum vitiosius, hoc ne?

Grandia quod precio quis velit empta leui.

An, quod per tenui cupiat dare plurima merce.

Posterius citius, pagina sacra probet.

Extat Apostolicis, sermo, quia talis in Actis

Qui dat is est foelix accipiente magis,

Bonum

Bonum sobrietatis.

Sobrietas animum corpus quoque roborat ipsum,
Et facit ad formam, sobria vita bonam.

Vfus diuitiarum.

Quando nequis opibus, cum te mors abstulit, vti
Vtere diuitijs, dum tibi vita comes.
Nec tamen è contra, tua prodigus omnia perdas
Tempore te longo viuere posse puto.

Amputanda mali causa.

Tollere vis vitium, vitij tollatur origo,
Fonte suo riuus deficiente perit,
Longi fœminei fugias contagia sexus
Qui turpi non vis, à meretrice capi.

Conscientia flagellum.

Ipsa sibi crux est mens non benè conscia, quàmuis
Sub nullo poenas, iudice torta luat.

Idem.

Sponte sua se male conscia pectora torquent,
Tam grauitè vindex vrere nemo potest.

Idem.

Supplicia vt nemo pronunciet aspera, mens quæ
Delicti meminit, se satis ipsa premit.

Dolor anget voluptatem.

Quidam, quid summè cenferet dulce rogatus,
Optatis (inquit) si potiare bonis:
Credo voluptatem sic nobis aspera laudant,
Sic fit perpeffo grata, labore quies,

Sic

Sic homines faciunt pluris post prælia pacem,
Et iuuat exactis, vita quieta malis.
Et post obductum per tristia nubila solem,
Plus facies cœli facta serena placet.
Hoc est cur sit amor, post iurgia maior amantum
Suauior est multo, sic violatus amor.
Sic vbi post longum fuerant quæ grata recurrunt
Plus tunc læticiæ, cum nouitate ferunt.
Nec pariter gaudent opibus quos propria cura
Et dites bonitas, quos aliena facit.
Me quoq; tam cupidum si nunc fortuna bearet
Cum voto fierent, gaudia plura meo.

Arma Christianorum Ex D. Ambr.

Qui se cultorem Christi profitetur in hostes
Nulla, nisi quæ sunt à Christo tradita, debet,
Arma parare sibi, quibus aduersantia vincet
Omnia, nempe fide, precibusq; ex corde profectis.

Donum precarium.

Vltro datum munus, gratum solet esse, quod autem
Per multas emitur, displicet omne, preces.

Opus mentis proprium.

Terra suo gremio positas complectitur herbas
Et fouet in tepido, semina iacta sinu.
Tucur non animo pulchras complecteris artes,
Cur non virtutis semina mente geris?
Arboribus fructus & messis conuenit agris,
Conueniens animis est pietatis opus.

Lex Musai vel omnis loci.

Hic locus est Phœbo Musisq; sacratuſ, & ergo
Noliſ in hoc quicquam turpe parare loco.

Pax opibus potior.

Non malè iactura nummi bona pacis emuntur
Non benè iactura pacis emuntur opus.

Natura providentia.

Non modò res natura parit, ſed ſervat eaſdem,
Et fida eſt cuſtoſ fatibus ipſa ſuis.

Sic ne lædantur ventorum flatibus vua,
Protegitur folijs, vitis opaca ſuis.

Tegmina dura nuceſ, paleæ ſua grana tuentur
Caſtanea hirsuto cortice tuta latet.

Somnolentia.

— Ingenium longi, corruppit inertia ſomni,
— Corpora præterea deſidioſa facit.

Hominum inſtitutio.

Cunctator Fabiuſ conſuevit dicere perquam
Abſurdum, & recta procul à ratione videri,
Quando caneſ, aliaſq; feraſ, non verberare ſæuo,
Verum eſciſ, & blanditijs potiuſ cicturemuſ
Non homineſ etiam ſimili ratione rebelleſ
Tractare, atq; animum officijs mulcere ferocem.

Muſarum alumnus.

— Pierij quicunq; chori parſ eſſe laboraſ,
— Virtutem literiſ iunge receptuſ eriſ.

Laus alit Poëtam.

— Ingentuæ placidiſ vt aluntur honoribuſ arteſ
— Sic multa in primis laude Poëta viget.

De nocturno tempore adorandum idoneo.

Dicere consuevit Chrysostomus aureus ore
Quamuis nulla pijs precibus non apta sit hora,
Nox tamen apta magis, cum lassa labore quiescunt
Corpora, cum taciti voluuntur sidera cœli,
Et solis splendore carens, est horridus aër,
Cum passim apparet facies tristissima rerum,
Siue foras spectes, siue intro lumina vertas
Quid tunc sunt ædes hominū nisi magna sepulchra
Intus nempe iacent mortalia corpora, somno
Vineta, putes gelida, suppressa cadauera, morte
Tunc mens ad tenebras humana exterrita, noctis,
Implorat Dominum, vitæ lucisq; potentem
Atq; salutari formidine percita, mundum
Horret & humanæ damnat molimina vitæ.

Somni modus.

Qui sanus fieri cupit, aut remanere, cauebit
Sex horis minus, aut plus octo, carpere somnum.

Idem.

Qui cupit sanus fieri vel esse
Octo plus horis caueat, minusue
Sex sibi somnum dare, nam nocebit
Plusue minusue.

Vis numeri.

Vis nulla est numeris, si res numerabilis absit
Vis numero est si res, quæ numeratur adest.

In imaginem occasionis.

Omnes ista suos occasio fronte capillos,
Lactat & hoc vno est arripienda loco.

Si semel aversa te fronte reliquerit illa,
Occipitis frustra parte tenere viles.
Quisquis es in magnis hæc nunquam negligere rebus
Dumq; licet, quæ sunt optima, discere puer.
Et primum teneram diuinis imbue mentem
Vatibus, hiverum perpetuumq; docent.

Epithaphium Assueri.

Hic ego quem torui, mitem genuere Sicambri
Ante diem gelida, sum tumulatus humo.
Ni mea fatales rupissent pensa sorores,
Gloria Pieridum, prima futurus eram,
At quia me tetricæ vetuerunt vivere parcæ
Nunc pro Parnasso, me Iouis aula tenet.

Author.

Annos bis septem, non plures, natus eram, cum
Hoc breue defuncto conscripsi carmen amico.

Ad Vomelium.

Multa quidem volui, tibi scribere docte Vomeli,
Sed tenuit nostras, cura pudorq; manus.
Cura quod inferior rerum sum mole mearum
Et pudor est, tanto scribere multa viro.

Laus Hispania.

Fortibus arboreis Hispania, frugibus, vuis
Argento, gemmis, flumine, diues equis
Diues & ingenijs, animoq; potentibus alto
Diues & appositis, ad fera bella viris.
Nec sunt veridici, mendacia scripta Maronis
Hic sunt, qui vento concipiuntur equi.

Vnde

Vnde etiam cursu præstant pernicipibus Euris
Nec via tam celeres, longa fatigat Equos
Aphrica sole calet nimio, Germania ventis
Horret, at Hispanum temperat aura solum.
Nec velut Aegyptus teritur torrentibus vn dis,
Lenibus, hæc tantum terra madescit aquis.
Et tempestiuus humoribus arua rigantur
Nil ibi quod desit, nil quod abesse velis.
Me miserum, quod non tali tellure creari
Contigerit, cur me tam mala terra tulit.
Hæc est à Superis votorum summa meorum
Posse loco tali viuere, posse mori.

Vulgi Iudicium.

Iudicat ex his, quæ sunt sensibus obuia vulgus
Iudicio toties fallitur ergo suo.
Abdita res verum est, latet in penetralibus imis
Non aliter sub humo, fulua metalla iacent.

Malus Patronus.

Indicens olim timidis fera bella columbis
Miluius imbelles, terruit acer aues.
Scilicet hic trepidant pauidae sine rege columbae,
Et querunt quonam sub duce bella gerant.
Accipiter placuit, quod ad uncis vnguibus hostem
Viribus & multas quod superaret aues.
Hic accersitus pro defensore, Columbas
Impetit, & populo vim facit ipse suo.

Fictus amicus ex Aristot.

Qui se sincerum, cum non sit fingit amicum
Delinquit grauius falsam eudente monctam.

Fatuus nouit fatuum.

Quod pauci sapiant, non est sapientia scire,
Nanq; sciunt stulti, quod pauci sint sapientes,
Exemplo est fatuus qui iam moriturus, vt aiunt
Respondit domino, ne sis nimis anxius vnde
Accipias alium, nec enim foris attinet illum
Quærere, tota tibi, fatuis, domus (inquit) abundat.

Pax premium Silentij.

Si potes auditis vñisq; silentia rebus
Præstare, optata pace beatus eris.

In bellacem Antistitem.

Dic mihi quisquis ades sacra insignite tyarâ
Cur Christo in membris te famulare pudet?
Solari afflictos pudet, & sua crimina falsos
Impositis manibus, conciliare Deo.
Nec pudet armatum turmas inuisere Equestres
Nec piget ad pedites fortia verba loqui.
Hortari vt iugulent, non te pudet, insuper audes
Ipse peremptura sumere tela manu.
Et vitam in castris, aut degerere regis in aula
Non pudet, ad Christi, sed piget ire gregem.
Quid dicam, nisi te prudenti mente carere?
Qui, quæ per se sunt infima, summa putes.
Et quæ per se sunt præclara, vt turpia, vites
Qui potes officium tam malè nosse tuum.

Morien-

Moriendi facultas.

Quod sibi possit homo, cum vult abrumpere vitam

Plinius hoc summi numeris instar habet.

Verum Socraticæ melior sententia mentis

Quæ vetat iniussu, se iugulare Dei.

Ille dedit vitam, quando vult ille reposect

Vendicet in vitam, ius sibi nemo suam.

Precatio vera.

Non satis est lingua resonare precantia verba,

Ni deuota Deo, mens simul illa sonet.

Vox sine mente nihil, sed mens sine voce iuuabit

Et vox si menti, sit bene iuncta iuuat.

Sic caro non prodest quicquam, si spiritus absit

Rursus eo, prodest, viuificante caro

Ergo Spiritui caro iuncta sit, & bona menti

Lingua, Deo gratum sic peragetur opus.

Votum Authoris.

Non ego diuitias, nec magnos venor honores

Possideam modicas, dum modo sanus opes.

Nam fugio curas locuples quibus vritur omnis,

Quas nec honorati Pompa fugare potest.

De tribus statibus indicialibus.

Si poterit factum reus inficiabitur, hoc si

Non poterit, dicet factum alio esse modo.

Hoc etiam si non dabitur, cogetur ad illud,

Confugere, vt facere hoc iure licere probet.

Hic si deficiet nec factum inre probabit,

Hoc vnum superest, fortiter vt pereat.

De seipſo.

Plenus inutilium curarum ſemper ego ſum
Quæ mihi cum noceant, nec proſint, non tamẽ illas
Debilitate meæ valeo depellere mentis.
Sola Dei reſtat per Chriſtum gratia, quæ me
Expediat, mentemq; meam formidine vana
Liberet ac penitus curarum vincula demat.

Mors piorum.

Iuſtorum morientum animas, Deus excipit ipſe
Non torquebuniur, reliquorum more malorum,
Viſi ſunt oculis ſtultorum, omnino perire,
Illi autem, æterna gaudentes, pace, ſuperſunt.

De ſeipſo.

Eſt animus nobis nullos qui captat honores,
Nullas quærit opes, nec amore tenetur habendi,
Nec ſi lædatur vindictam expoſcere nouit,
Nullius damno gaudet, ſed proſpera cunctis,
Eſſe cupit, metuens quod dicto offendere quenquã,
Fœlix o nimium fœlix, ſi pectora tantum,
Noſtra, nimis duræ ceſſarent carpere curæ,

Idem.

Mens mihi talis a deſt quam laudis nulla cupido
Nulla caducarum, quam ſitis urit opum,
Nuam neque vindictæ ſtimulat ueſana libido
Læta nec ullius ſuſtinet eſſe malo.
Quin potius cunctis fœlicia cuncta precatur
Mitis & in nullos aſpera uerba iacit.

Hactenus

Hactenus est foelix mea sors nisi pergeret in me
Cura tenax, nimias accumulare cruces.

Idem.

Non ego laudis studio nec auri
Anxium demens animum fatigo
Non ego læsus meditor nocenti

Damnare ferre:

Omnibus vitam præcor vndiquoq;
Commodam, lætam, facilem, beatam
Me miser nemo, cupiente toto
Viuet in orbe.

Nostra cuiusquam lacerare famam
Lingua non nouit, poteram videri
Tot bonis foelix, nisi cura nostros
Roderet artus,

Insalubria grata.

(bre,

Quod mea lingua probat, stomachus negat esse salu
Quodq; probat stomachus, mea tangere lingua re-
culat,

Sic secum pugnant, & in vno corpore membra
Attamen hoc ratio, dirimet consulta, duellum
Qua duce quæ bona sunt, quamuis videantur amara
Paulatim fient, de consuetudine grata.

Os & cor discrepant.

Lingua loquax, taciturna ferè præcordia monstrat.
Os tacitum fermè garrula corda notat.

Ad Nicolaum Bodadillam Hispanum.

Verba Prophetarum quædam tibi grata duorum
In versus. inssu. mitto redacta tuo.

C

Ipse suo dominus, me stare in limine iussit,
Et Iuda populo, talia verba loqui.
Vos quicunq; Deo delubra dicata subitis
Primus ibi, Dominum sit coluisse labor.
Hæc exercituum Dominus quoq; dicit &, huius
Qui meruit viso, nomen habere Deo.
Si media rectaq; via, vos ponere gressus
Videro, nec studijs, dedita corda malis.
Ipse locis semper, vobis ero iunctus in istis.
Semper & in vestra, cominus ege Deo.
At si vos Domini iactatis inaniter ædem.
Clamantes, Templum, terq; quaterq; meum.
Odero, nec quicquam me tunc loca vestra iuuabunt
Verum agite, & vestras sanctificate vias.
Reddite cuique suum, pacis quoque fœdus amate.
Litibus implicitos, soluite, iure, viros.
Aduena, pupillus, viduataq; coniuge charo
A vestra nunquam destituantur ope.
Nec vos innocuo maculetis sanguine, nec uos
Stultitia ad falsos, pertrahat vlla Deos.
Tunc ego vobiscum tellure morabor eadem,
Quam patribus vestris, semper habere dedi.

Hæc Deus ad populū loquitur scelerata patrantem
Cur cadit ante oculos victima multa meos?
Non aries, non me vitulorum sanguis & exta
Pinguia, non tellus tincta cruore iuuat.

Quando

Quando vnquam à vobis exegi talia: quando
Vos isto, iussi sacrificare modo:
Thus quoq; in accensas, si detis abominor, aras
Desinite hæc frustra, sacra parare Deo,
Sabbata non patiar, nec quæ solennia festa,
Nunc iniustitiæ turba ministra colit.
Execror hæc, vestræ non possum ferre Calendas,
Sistite iam: sunt hæc facta molesta mihi:
Et cum sublatis captabilis æthera palmis,
Auertens oculos, dissimulabo, meos.
Cumq; simul magno facietis murmure verba
Non erit ad vestras, auris aperta preces.
Nam petitis spolia & rixas miscetis amaras,
Et video plenas esse cruore manus.
Tollite quæ mala sunt, animos purgate, bonumq;
Et rectum post hæc instituatis opus.
Et si quis per uos iacuit, quandoq; resurgat:
Et ferat ex æquo, quæ dare iura iubent:
Parcite pupillis, viduas fraudare caute,
Omnis & à vestro, sit procul, ore dolus.
Hæc vos cum facitis, si non exaudio, tunc me
Vt durum vobis, insimulate, licet.

Anima. vita.

Certa fides, spes firma, Dei dilectio vera
Hæc tria sunt animæ, vita y igorq; piæ.

De votorum inconstantia.

Nescis quid cupias, metuāsve, ita tempora ludunt
Vt nunc te iuuenem, nunc velis esse senem.

Nunc sine coniugio, nunc viuere coniuge ducta,
Te nunc Eunuchum, nunc velis esse virum.
Et modo per totum, cupias celeberrimus orbem
Esse modo quouis care latere magis.
Nunc alijs optes sapiens, nunc stultus haberi,
Nunc benè te, nunc te malis habere malè.
Nunc opibus Cræsum, nunc vincere sordibus Irum
Has fortuna vices, vitæq; nostra facit.
O miseros, quos hæc variantia vota fatigant,
Sol tamen hos miseros semper in orbe videt.

Honoris onus.

Est ingens semper dulcedo, ingentis honoris
Verum ingens illi, coniunctum onus, efficit, vt non
Sentiri ingentis dulcedo possit honoris,
Dulcia sic semper, iunctis vitiantur amaris.

De Actio Syncero.

Virgineum scripsit, foelici carmine partum,
Sic hoc Synceri, laudat Erasmus opus.
Improbat hoc v num, quod sacris multa prophana
Misceat, ac toties ficta, Deoq; canat.

Voluntas impotens.

Pessimè quisquis canit, ille primus
Incipit, sic sunt homines, vt optent
Quæ minus possunt, melius magisq;
Posse videri.

Querela Athei.

Quem fera, præ reliquis fortuna atrocius vrget,
Sæpe subit nullum, qui regat esse Deum.

Nam

Nam quæ causa subest, cur hic *foelicius* eum
Transigat, & contra durius alter agat:
Sentiat iste sui mollissima tempora vitæ,
Rursum fors alios: vndiq; dura præmat.
Quo merito *foelix* debetur vita quibusdam,
Contra, quid *miseri* commeruere malis
Quo vitio est inopem, proles sortita parentem,
Quo ue suo vitio debile corpus habet:
Aut quo consilio, locupleti nata parente
Formosum & pollens robore corpus habet.
Exclamare libet dubius regit omnia casus,
Curâq; de nobis, non habet vlla Deos.

De Marco Valerio Martiali.

Subtili prorsus, culto facilq; priores,
Præcellit Marcus carmine, nemo negat,
Hunc tamen ex omni laudari parte poetam
Res vetat vna, solet non referenda loqui.
Carmine mordaci, traducit turpia multa:
Sed traducendo turpia multa docet.

Exemplum temerariæ audaciæ.

Qui metuendarum vacat à formidine rerum
Tam peccat, quam qui non metuenda timet.
Christigenæ infausto cum, nuper Marte coissent,
Et caderent tanquam debita turba neci.
Miles erat longo bellorum doctus ab usu
Hic ubi pugnari non bene posse videt,
Abstinet & positis, secessum quærit ab armis
Ad quem tum Paulus sic Thomoreus ait:

Quo fugis? aut quo te summo discrimine rerum
Proripis? huc nobis commoriture veni,
Ne dubita fies magni conuiua Tonantis
Tēq; hodie in cælis cœna parata manet.
Cui miles: ieiuno hodie, nec prandeo, toto,
(Sic noui) capitur nec mihi cœna, die?
Tu cape si visum est, me non fastidia vitæ
Tanta, nec istius, tædia lucis, habent.
Aut etiam vesci libeat, si fortè placeret
Quælibet humana cœna parata manu.
Non equidem ambrosia cupiam vel nectare pasci
Hæc sunt cælesti, fercula digna, choro,
Hic vbi profectu, vidit sua verba carere
Paulus, & audacis nomen habere cupit.
Protinus in medios fertur temerarius hostes
Ac mox contorto, cominus ense cadit.
Nec dubium quin tunc cælesti sede receptus
Cum Christo cœnam sumpserit ille suo.
Hic siquidem mitis solet esurientibus esse,
Nec sibi dissimilis factus, opinor, erit.

De Avaro.

Vt canis in sceno recubans non vescitur illo
Nec sinit vt comedat, qui cupit illud, equus:
Sic & auarus opes, quibus vt non vtitur ipse,
Sic ab ijs alios, inuidus arcet, habet.

De immiseria.

Qui dat pauperibus non inuenietur egenus,
Qui dare contemnit, semper egenus erit.

In

In medijs opibus de paupertate queretur,
Si quod edat fuerit, non benè sanus erit.
Quod si sanus erit, quem sumat pane carebit,
Aut mœrore animi, panis amarus erit.
His alijsq; modis misereri nescius omnis,
Hic quoque dum viuit discrucian dus erit.
Hæc fore prædixit, quo non sapientior alter
Rex Salomon, faciunt experimenta fidem.

De malo lingue ex lingua.

Serpentis genus est, hoc hæmorrhoida dicunt,
Quod graua, quod præsens corpore virus habet,
Non redit in spiras, neque multa volumina torquet
Bestiola est vnum, vix benè longa pedem,
Et tamen exiguo tantas, in corpore vires
Possidet, vt morsu corpora magna necet.
Non leuiter pereunt, durum & miserabile mortis
Est genus, hac Helenes nauita morte perit.
Cætera, si spectes, quæ terra plurima serpunt
Noxia, non quod huic anteferatur, erit,
Seps animal paruum, quos attigit, hos ita totos,
Conficit, vt maneant nulla vel ossa super.
Ingenti præster distendit membra tumore
Regulus intuitu, luminibusq; necat.
Est serpens dictus Iaculum, quia more sagittæ
Impetit, atque hominis per latus ire potest
Emoritur somno, quemcunq; momorderit Aspis,
Hoc, vrina, malum, propria pota, fugat.
Contactu

Contactu solo perimit lepus ille marinus
Afflatu varij torpet adusta manus.
His longè grauius nocet hemorrhois, & ictos
Inficit, atque modis mille perire facit.
Nam læsis tanto prorumpit corpore sudor
Sanguineus, misero membra cruore madent.
Largiter ex oculis, è naribus, auribus, ore
Effluit, & nulla, sistitur arte, cruor.
Inuadit virus vacuas sine sanguine partes,
Et non credibili, membra dolore premit.
Vtq; nouis folijs, illapsum fulmen adurit,
Sic hoc quæ tetigit viscera, virus edit,
Et carnes, pulso, consumit & ossa, cruore
Ipsa suis non est, tuta medulla locis.
Attamen est aliud, longè lætalibus istis
Omnibus, hoc secum ferre putatur homo.
Nec tamè hoc, solido, clausum est adamante, venenũ
Vngula cornipedis, nec caua seruat equi:
Sed tenet inclusum, pars pene tenerima nostri
Hæc est quæ uarios fingit in ore sonos.
Illa potest totum quassare tumultibus orbem
Duraq; ferrata, bella mouere manu.
Et late positas in prælia mittere gentes:
Exitio terras, et dare sola potest.

De poetica facilitate.
Vt pensi laus est facili si pollice ductum
Non ægre in radios, et sua fila fluat.

Sic

Sic consummati, laus est non vltima vatis
Si subito in numerum,nectere verba queat.

De Danieli Mauch.

Inter nos animi causa certare solemus
Carminibus, quoties sumus otia libera nacti.
Et quia te genus hoc lusus, recreare solet, non
Alea, quæ rixas parit & stultissima damna:
Iccirco non sum veritus, nunc denuo nostros
Versiculos tibi mittere, vir desyderiorum
Quos oro emendes, emendatosq; legendos
Nullides: nisi cui dedit agricolatio nomen:
Cuius de rebus sacris simulatq; prophanis
Passim scripta extant, toti notissima mundo.
Qui tuus ante fuit, nunc est quoq; noster amicus
Et precor vt maneat. Cur autē vertere Psalmū hunc
Dauidis (cum tot pulchra argumenta supersint)
Maluerim, causa est, quia nostris, conuenit ille,
Temporibus, quibus et male facta & dogmata falsa
Damnosē ornantur, ueriq; boniq; colore:
Non aliter quam consuevit vulgus locupletum
Exornare suas proles, ætate alioqui
Pulchras & placitas: sic nunc vitiosa videmus
Dogmata fucari, nec non & honoribus illos
Ornari, augeriq; opibus, qui talia fingunt.
Et teneros animos incautaq; pectora perdunt.
Tu mihi, si quid habes, quod fas est scire, vicissim
Impartire velis quæso, & cum legeris ista,

D

Et fuerint conspecta illi, de quo antea scripsi,
Abijce, si non vis, mihi fastidita remittas:
Si procul abfuero, dentur comedenda marito
Idaliæ, interea terecintæ exopto valere
Illud idem nostris precor ut contingat amicis.

Psalms 143.

Magna Deo Dominoque meo sit gloria, qui me
Aspera sunt quoties arma ferenda docet
Ille mihi fortem dat in omnia prælia dextram
Instruit & digitos ad fera bella meos,
Hic mihi propitius succurrit & omnia diues
Suggerit & miseræ fida stat ara fugæ
Desertum à cunctis solus me suscipit ille
Ille mihi dubio tempore dexter adest.
Et fugat insidias, mea spes est omnis in illo
Imperio populos subiicit ille meo,
Ecquid homo est: quæ tu Deus, hoc dignaris honor
Ut te illi ostendas, auxiliumque feres.
Quid nisi res nihili, teneroque simillima fumo.
Cuius vita fugax, & velut umbra perit,
Et tamen est aliquis qui se sublimibus æquat
Montibus & Domino se putat esse parem,
Hos Deus ex alto montes contingit, liquescant
Protinus, & tantum fumus inanis erunt.
Adde chorus cantes, metuendi fulminis, ignes:
Telaque vulnifica, fortiter acta manu.
Me premit & vastis quasi fluctibus obruit hostis
Me tenet infesta mens aliena manu.

Quæ

Quæ lingua facili mendacia noxia fingit
Cuius & iniustum dextra nscit opus.
Contra tende manu Deus alto ex æthere, fluctus
Euadam, hostiles effugiamq; manns.
Tunc fidibus, modulâda, decē noua carmina condâ
Quæ tibi pro nostra facta salute canam.
Per te seruantur reges, seruatus & ipse,
Nunc quoq; ne seruo, lædar ab ense rogo,
Neue manus noceat peregrinæ genti, apud quam
Lingua nec est vero, dextra nec apta bono.
Cuius adest natis, ea formæ gratia, qualem
Planta recens, primo, culta virore gerit.
Et sua formosis sunt ornamenta puellis
Templa putes varijs: condecorata modis.
Plena redundant es eructant horrea fruges
Cella capax multis, est onerata cadis
Grex ibi fecundus, numeroso, in pascua tendit
Agmine, sunt pingues, lata per arua, boues.
Atria stant cellis, ornata & fulta columnis,
Rima ruinosas, non facit vlla domus.
Alta quies illic, clamor non obstrepit vllus:
Omnis ibi strepitus prætereuntis abest.
Fœlices aiunt, quibus harum copiarerum
Suppetit, & blando sic licet orbe frui.
Sed verè populum fœlicem dixeris, hunc, qui
Propitium meruit, semper habere Deum.

Varia hominum studia.

Maxima pars hominum studio exardescit habendi:

Hinc audet vasto, nauibus ire freto.

Anxia torquetur curis, magnocq' labore

Aestuat ut fluxas vndiq' cogat opes.

Sunt alij magno succensi laudis amore

His gula, nonnullis horrida bella placent.

Sed misere, studijs falluntur inanibus omnes,

Et subita in Stygias, morte trahentur, aquas.

At qui virtutis studio, terrena relinquit,

Cœlitibus supra sydera iunctus eris.

Gaudium est vita.

Lætis vita brevis, sed mœstis longa uidetur,

Quare letari magis est, quam viuere vita:

Nam quis Nestorios tristis desideret annos,

Et non Aeacide, quamuis breue, præferat æuum.

Omnia præsentis liceat modo gaudia vitæ

Carpere, nec nimios animi sentire dolores.

Nam nullos, optare nefas, neq' gaudia quenquam.

Continuata iuuant, aliquo condita dolore,

Vt sale marcentem, delectant fercula, linguam.

Tum quoq' vita suum, cum florida desit ætas

Accipiat finem, quia nox sine luce, dolorq'

Citra læticiam, tormentaq' sola supersunt.

Mala Christi, bona nostra.

A læto tristi redimat nos passio Christi,

Et simul à cunctis, liberet illa malis.

Mors

Mors eius vitam, cruciatus gaudia portat
Prodit ab illius, nostra, labore, quies.
Et laceram, reparant illius vulnera, mentem
Cuius & a probris, gloria nostra venit.
In Christi viuum, si non es corpore membrum
Nulla tibi venient gaudia, nulla salus.

Idolatria.

Quæ Deus indixit mihi, negligo, quæ mihi finxi
Hæc laudo, seruo, miror, adoro, colo.
Nunquid idolorum possum sic cultor haberi.
Cum nec picturas nec simulachra colam?

Intempestiuum ad Quadrigarium.

Hic quærit iuuenum mores ætate senili.
Qui quærit mores, iuuenili ætate, seniles
Namq; suos nunquam sapientia præuenit annos
Mensibus hybernis absurdum est quærere flores,
Et vernis fructus, tenerosq; æstate virores,
Tempore cuncta suo veniunt, animus iuuenilis
Non est in senibus, nec vir puerilia curat.

De pudore immodico.

Hic si damna velim, nimij memorare pudoris
Non satis ad numerum charta diesq; foret:
Turpiter in medijs, tenet hic, sermonibus ora,
Et tacitis similes, piscibus esse facit.
Hoc tibi græcorum dicendi summe Magister
Accidit, ô magno, digne dolore pudor.

Hic facit vt metuat, sua poscere creditor, gra
Hic facit & magnis saepe carere lucris.
Non olim hoc Caesar te Vespasiane latebat
Vndiq; dum posito, lucra, pudore petis.
Prudenterq; tui, reprimis conuitia nati,
Olfacere admota, dum lucra, nare iubes
Hec ex vrina fuerant collecta tributa
Non accepturus, si puduisset, eras.
Quæris in his igitur, num sit graue olentia lucris
Hoc pacto nati, comprimis ora tui.
Et pudor est multis, vitæ miserabilis author
Prodere dum tacita, condita mente pudet
Tristitia saepe alijs volumus vel læta referre
Sed claudit vehemens, & premit ora pudor
Quam graue cum doleas vlli referare vereri
Sollicitent animum, quæ mala cunq; tuum.
Aut quæ lætitia est, si te tua gaudia cogat
Seruare, arcano pectore, clausa pudor.
Deniq; quis cultæ, fructus vel gratia Musæ,
Deliteat semper, si pudibunda domi.
Prosperis dignus.
Quisquis non didicit calus bene ferre sinistros
Fortuna dextra nesciet ille frui,
Aduersis etenim qui frangitur, ille secundis
Tollitur, & peccat stultus vtroq; modo.
At qui fortunam tolerat moderatus vtramq;
Dignus is est iugi: prosperitate frui.

Pauperibus sum scriptus ego, sed non minus ergo

Prodero diuitibus, si bene lectus ero.

Multa loquor paucis: iusto simul ordine cuncta

Digero, sit breuitas, ordine clara bono.

Patientia victrix.

Qui quæcunq; sibi mala sunt illata, studebit

Vlcisci, armata, sanguineaq; manu

Sentiet ille sibi, robur Samsonis abesse,

Nec victor, quamuis illud adesset erit.

Disce hostes igitur, superare ferendo

Tunc verus, claro nomine victor eris.

Omnes respectu utilitatis agere.

Omnes accensi sumus vtilitatis amore

Nec quisquam nisi spe commoditas agit.

Hanc sibi proponunt etenim, quos ira venenum

Sumere vel laqueo stringere colla facit.

Hanc etiam medijs interdum quærit in vndis

Rara quem patulis naribus esse piget.

Hanc petit & tacto præceps delapsus ab alto

Rumpere, quem vitæ fila, cadendo iuuat.

Hanc quoq; qui ferro, pectus sibi figit acuto

Quiq; alijs iugulum porrigit ultro, cupit.

Hanc Ajax petere est visus, sibi quando repulsæ

Impatiens, proprio, perforat ense latus.

Hanc petit & primi, Lucretia, Consulis vxor

Cum stricto gladio pectora casta ferit.

Et.

Et Bruti coniunx, submoto portia, ferro
Cum properat sumpto: faucibus igne, necem.

De Cesare.

Sunt qui Cæsareos, referant in imagine vultus,
Et pingunt docta, pectus & ora, manu.
Respondet placido, placidus cum pectore vultus
Hoc Cæsar nobis, carmine pictus erit.

De lege piscatoria.

Nullam apud antiquos habuit piscatio legem.
Quisq; sibi quouis, capiebat tempore pisces,
Quos potuit nec tunc fuit illa penuria, de qua
Nunc querimur, postquam regitur piscatio Lege.
Nec quiuis, quouis capiuntur tempore pisces,
Sic fit quando Deo volumus dare consilium, vel
Quando naturam sterilemque inopemque putamus,
Vt nisi consilio nostro, auxilioque regatur
Non opulenta satis queat, aut fecunda manere.

Modus parandi amicos.

Errat muneribus, sic o: qui captat amicos
Se tamen his vulgus posse parare putat,
Nec videt exhaustis opibus, discedere & illos
Quos tantum doni, conciliarat amor.
Parcite muneribus vestris stultissima turba
His sat amicorum est, qui bene semper agunt.

Vox morituri Aristotelis.

Nudus ego veni, totam vitam anxius egi,
Incertus morior, quo vadam nescio, tu me

Re

Respice propitius, per quem sunt omnia, quæ sunt.
Talia Aristoteles dixisse in morte refertur.

De Eva et Matre virgine.

Fœmina restituit, rapuit quam fœmina vitam

Res eadem vitæ causa, necisq; fuit.

Idem.

Noxia quæ primum fuerat (mirabile dictu.)

Vtilis in uerso fœmina facta modo est.

Idem.

Reddidit ablatam mundo pia fœmina vitam

Fœmina erat, per quam vita perempta fuit.

Idem.

Causa necis mulier, mulier quoq; causa salutis

Idem principijs, morsq; salutq; venit.

Idem.

Fœmina lactiferis prostrauerat ictibus orbem

Hic quoq; fœminea mox releuatus ope est.

Idem.

Mortifero mulier mundum violauerat ictu,

Sed mulier præsens hîc medicamen habet.

Idem.

Fœmina surripuit vitam, sed fœmina rursus

Ne sit in æternum vita carenda facit.

Idem.

Conciderat totus muliebri crimine mundus,

Sed leuat hunc iterum fœmina, virgo parens.

Idem.

Fœmina perdiderat mundum, sed fœmina eundem

Reddit, & antiqua conditione beat.

Idem.

Expulerat Cœlo sobolem, miserabilis Adæ
Fœmina, quam rursus fœmina in astra leuat.

Idem.

Virgo noua magnem, placauit prole Tonantem
Iratum mulier fecerat ante Deum.

Idem.

Edidit aflata serpentis, fœmina mortem
Vitam aflata Deo, fœmina casta tulit.

In laudem S. Florini

Hymnus.

Flore virtutum decoratus omni,
Voce, Florinus, merita canatur
Nomen hoc illi dederat parentum

Prouida cura

Traditus sancto iuuenis magistro,
Sanctior factus meruit bonorum
Omnium curam, domini fidelis

Seruus habere

Quo manu larga tribuente multa
Pauperum turbis nihilo minores
Sunt opes vixæ, magis aucta rerum

Copia creuit

Fraude liuentis famuli coactus
Pro mero, fontis laticem referre
Fecit vt vini traheret stupendum

Vnda sapore.

Inter insignes, quibus ille toto

Orbe

Orbe virtutes, nitidus refulsit
Clarius semper micuit modestæ

Gratia mentis

Hinc in excelsa specula locatus
Præfuit Christi populo sacerdos
Sanctus & verax, facienda dixit,
dictaq; fecit

Laus, decus, virtus, honor & potestas
Sit Deo, cuius bonitate sanctus
Laude Florinus, pietatis omni

Tempore floret.

Trita via.

Tutius est aliena sequi vestigia, quam si
A nullo tritas, ingrediare vias.

Ad quadrigarium.

Si tibi vis hostem nulla ratione parabis
Commodius, quam si verus amicus eris.
Et quanto melior, quantoq; benignior illi
Extiteris, tanto durior hostis erit.

Hic mod^o ingenuos aliquando parabat amicos.
Sed nunc sol noctem, nox facit esse diem.

*Varietas rerum iuxta hominis
animum.*

Gaudemus quædam fieri, quæ facta dolemus
Quædam dum fiunt odimus, acta placent.
Sunt quæ nos fieri volumus, nec facta probamus
Sunt quæ cum fiunt, cumq; peracta placent.

Ad Conradum Pocillatorem.

Si tibi, quanta fuit doctrina, & cura fuisset
Hoc Conrade tuum, pulchrius esset opus.
Versibus æquari potuisset Sedulianus
Siue Iuence tuis, quos vel arator habes.
Sed quia cura deest offendunt multa legentē
Hec quoque quæ minimo, recta labore foret.

Rex fictitius.

Temporis exigui rex est habiturus honorem
Crastinus, eripiet regia sceptrum dies.

Via vite.

Est via quæ multis speciosa & plana videtur
Verum fine suo ducit ad interitum.
Est cōtra via, quæ velut aspera & arcta timetur
Illa viatores ducit ad astra suos.

Opera Dei.

In genere ista suo Deus optimus optima fecit
Omnia nec possunt fieri meliora, nec esse.

Ad Gratianum.

Teres nulla magis perdit, quā largior, æquo
Potus & immodicus, difficilisq; cibus.
Si delectum habeas, si cū moderamine sumas
Omnia plus vitæ, lætitiæq; feres,
Cotidiana docet nos experientia, non tot
Casibus aut ferro, quam perijisse gula.

Retortum.

Vir bonus Eugenius respondit sæpè, notanti
Bernhardo, multos, Romanæ sedis abusus.
Cum tu sustuleris Monachorum cuncta tuorum

Mur.

Murmura, tunc omnes mea curia ponet abusus.

Iocari in Diuos.

Ille pius non est, nec erit discriminis expers.

Quem iuuat in Diuos, verba iocosa loqui.

Nam Deus illorum nomen custodit & ossa.

Probra nec illorum, linqvit inulta Deus.

Sententia Hyeron.

Affiduè qui se moriturum cogitat, ille

Omnia, de facili, contemnit gaudia mundi.

Tria pœnitenda.

Sunt tria quorum se dixit Cato pœnituisse

Si quid secreti commisisset mulieri,

Si rate venisset, pedibus benè quo potuisset

Si qua dies nullo fructu, sibi lapsa perisset.

De Suspitione.

Improbis incerta vir suspitione laborat

Quid probus est dubia suspitione caret.

Quisq; quod est, alios id secum iudicat esse,

Qui malus est nullos, iudicat esse bonos

Suspicio regnat, malè garrula lingua triumphat.

Qui bonus est nullos, iudicat esse malos.

De Animositate.

Fac ausis tantum, timidis fortuna repugnat

Omne hominis trepidi nō bene cedit opus.

Conferet ipsa tuis, successum audacia, rebus.

Si metues, cadet non benè quicquid ages.

Sic animo impauido, non robore fortis lalon.

Abiit auraræ yellera solus ouis.

Solus.

ISO us & armatos contra pugnavit inermis
Dentibus hi subito, prosiluire satis,
Terrabilesq; tulit, constanti pectore tauros
Quorum alias fuerat viribus ille minor.
Quid nisi fortunam, facto miramur in isto?
Quæ sese audaci præbuit vsq; viro.
Ergo tulit meritò tantos animosus honores,
Et fortuna, tuo munere dignus erat.
Quare age degeneres et am tu pelle timores,
Et res egregias, non dubitanter adi.
Non tibi fortunam minus experieris amicam
Gaudet enim intrepidis, posse favere viris.

Canities

Canities, gelidæ non est nota certa senectæ
Certa tamen, gelidi sanguinis illa nota est

Mæror inutilis.

Grandia lætitiæ, mæroris præmia nulla]
Si reputes omni tempore lætus eris.

Ide n.

Floridam, gaudens animus, iuventam
Reddit & servat speciem venustam,
Tristis è contra spoliat medullis

Spiritus ossi.

Domestici Hostes.

Non est quod nimium timeas homines alienos
Sæper enim gravius te turba domestica lædet, (ites
Nam quot habet servos, tot habet quoq; quilibet ho
Hic mihi dissilos facit experientia certos.

De

De duobus senibus.

Quamuis annosos iuuenes vos dicere vellem

Si foret in vestris, tota senecta, pilis.

Nunc præter canos, facies est aspera rugis.

Haud dubiè vos hæc, arguit esse senes.

Stultus dolor.

Cum tibi præteriti reparatio nulla supersit

Stultus eris propter, si præter lapsa dolebis.

Ad Valentinum.

Quæ tibi per lupulum duo, sed ieiuna remissi

Carmina, plura modo, mitto colende Pater

Qui sacra cū valeas simul & curare prophana

Iure Valentini nomen & omnen habes.

Corda colis sermone Dei, vitaq; probata,

Sicq; Deo templum spirituale struis.

Tam bona cum facias, es cultor & ædificator,

Et titulo passim dignus vtroq; nites

Sed pastis animis simul et bene corpora pascis

Et sua iumentis crescere fœna facis.

Terra tibi sterilis, ferro flammisq; subacta

Ipsa velit, nolit, cogitur esse ferax.

Pro truncis culmos, pro ramis, ardua, spicas

Quæ, iuga, dudum apris trita fuêre, ferunt

Frugibus hinc homines, iumentaq; gramine pascis

Et diuersa bonus, nomina pastor habes.

Rura colis, nomen quibus est à diuiteriuo

Qui tua, fœcundo pascua fonte rigat.

Ne

Ne tamen hoc riui sit nomen inane laboras

Et tibi diuitias, ergo tuisq; paras.

Talia cum prestes, animasq; & corpora cures,

Iumenta, atq; homines, tantaq; solus agas.

Grata mihi meritò piscaria dona fuerunt.

A' tali ac tanto, te mihi missa viro.

Pro quibus optarim, meliora rependere posse

Munera, nunc propter verba reportò nihil.

Cauenda.

Cruda, caue comedas nec turbida pocula sumas

Si metuis famæ falsa referre caue.

Clara bibas igitur, comedas bene cocta, loquaris

Vera, potes famam, sanus habere bonam.

Artem natura superat.

Quant artem natura excellit, flos quoq; tanto

Vel rosa, natiuo superat redimita decore

Omnia, quæ summo pretio, summa arte parauit

Vestimenta sibi Salomon, quibus oblitus ille

Regali voluit, cultus splendore videri.

Saluus quis.

Omni momento, à natu Domini, omnia pendent

Saluus eris Domini, quisquis amicus eris

Diues honoratus, foelix eris, atq; beatus

Cuncta potens tecum, si modo Christus erit.

Regnum vi partum.

Regum Turcarum violento sine peribit,

Nam per vim cœpit, sed regnum Christicolarum

Nulla vi cœptum, patientia fouit, eoq;

Pro

Prouexit, nullis, superabile duret vt armis.

Contemptus Religionis unde.

Vita sacerdotum mala, spretæ religionis

Semper causa fuit, causâq; semper erit.

Verborum paucitas.

Si fieri possit, si res non ipsa recuset

Tum si verborum, si breuitate potens.

Tum quoq; sermones curtos si lector amabit

Cuncta velim verbis dicere posse tribus.

Morbis, cura nocentior.

Mordaces animi curæ vitentur in omni

Tempore, præcipuæ quia morbis omnibus illæ

Plus lædunt, nam qui morbos euasit acutos

Non potuit viuus tristes euadere curas.

Molle dutum.

Molles ferre dies homini durissima res

Promptius est multo tempore dura pati,

Quare sortis homo est, lætos quod tempore longo

Ferre dies animo, sufficiente p̄test.

De Gula nostra,

Quod natat & cepit graditurq; volatq; vorari

Cernimus & nostræ, nil satis esse gulæ.

Consumptis lignis pariter consumitur ignis,

At gula, consumptis omnibus vna manet.

Morbi causa.

Maxima morborum pars, nascitur ex animorum

Tristitia multis, quæ fit origo necis.

De bona Coniuge.

—A patre sunt ædes & opes, à numine solo
—Vxor, digna sui quæ sit amore viri.

Idem.

—Mortalis genitor, dat natis remq; laremq;
—Dat Deus vxorem, quam vir amare potest.

Idem.

—Sæpè parens dat opes, & splendida tecta, sed vxor
—Quæ sapit, à Domino, non aliunde venit.

Idem.

—Diuitiæ, benè structa domus, sunt dona parentum
—At bona, diuini muneris vxor erit.

Occultissima quæ optima.

Optima quæq; latent quali sub velamine rursus
Illa foris, quæ sunt deteriora patent.

Vis ea, qua flores fragrantés induit arbos
Sub terra, & spisso cortice tecta latet.

Copia conspecta satiat.

Sit multum quod edas elcæ languebit Orexis:
Arcet. visa, cibi copia, sæpe famen.

Stulti loquacitas.

Non aliter stultus properat sua fundere verba
Vellere quam femori, spicula fixa canis.

Cura nocet.

—Si sum sollicitus, sum sollicitudine stultus
—Cura nihil prodest, perdere cura potest.

Signum sani.

Cū fugio frigus, valeo malè, tunc benè sanus:
Quando meus, gaudet frigore sanguis, ero.

Conuiuator, Augustin.

In non præsentēs quiscq; malè dicere gaudet
Indignum mensæ, se sciat esse mea.
Tum neq; q̃ mala sunt, neq; contristantia quēquam
In mensa posito, sunt r. fere da cibo.

Vita & Studium.

Viue quasi cras sis moriturus, disce perinde
Ac si nulla, tua finirent secula, vitam.

Mentiendi modus.

Ad fraudem mentiri, alijs benè nemo valebit,
Qui benè mentitus, non erit ante sibi.

Fructus mendacijs.

Anna quod efficias tua per mendacia dicam
Nulla tibi posthac, vt sit habenda fides.

De nouo testamento.

Hæc est expultrix vitiorum, pagina vitæ
Regula, & in cœlos fons salientis aquæ.

Fides Iustificans

Sola fides, si vera Dei dilectio desit,
In terris nullum iustificare potest. (tur
Sed nec apud Superos quisquam est, qui iustus habe.
Hac nuda, & nullum iustificante fide.
Nec quos atratenet, simul & pars infimamundi,
Fidunt se sola, posse placere fide.
Adde ergo fidei, diuinæ legis amorem
Tunc tua te poterit, iustificare fides.

Præcatio Conconatoris.

Dogmata cum populo, conor tua tradere, quæ so
Congruat eloquio, mens mea, Christe, tuo.

F n

Gratia & Ira.

Gratia de pluma, de plumbo nascitur ira,
Ira tenet plumbi naturam, gratia plumæ.
Gratia pennata est, plumbo iacet ira grauata.
Ira refert plumbum, volucris sed gratia ventum.
Gratia non remanet, grauis ira tenaciter hæret.
Ira diu floret, sed gratia protinus aret.
Gratia plumæ instar volat, ira manet quasi plumbū.
Ira graui petræ, similis sed gratia plumæ.
Gratia ventosa est, sed plumbo tardior ira est.
Ira manet stabilis, citò gratia corrui omnis.
Gratia mox moritur longum manet ira per æuum
Ira grauis sapis, sed gratia nititur alis.

Mundus quid.

Hunc mundum penitus quid parte aspexit ab omni
Conspexit nunquam pulchrius ille nihil.

Vtile Medicis.

Quo plures languent, & tussi concutiuntur
Hoc annona solet medicis magis esse benigna.

Qualitas patriæ.

Me patriam puto, cum video saliceta videre,
Nam syluæ patriæ, sunt saliceta meæ.

De Ambitioso quodam.

Anne satis causæ cur me obiurgaret, habebat
Qui sibi me voluit tunc aperire caput.
Cum caderet cælo, densissimus imber ab alto
Lumina me pedibus fixa gerente meis.

Nam

Nam mihi suspicere aut transuerſim cernere quicquā
Non licuit, plena nube fluebat aqua.

Ipſe domi interea requietus ad oſtia ſtabat.

Proſpiciens artus, imbre madere meos.

Ipſe caput triplici tectum quoq; veſte gerebat.

Forſitan hoc magno, cum loue mater erit,

Cumq; ſacro ſortu rumpi crescente timeret,

Continuit tumidum ſcacia multa caput.

Et niſi ruſticitas indignabunda fuiſſet

Me poterat leſido, detinuiſſe ioco.

Nam ſi me ſaltem placido ſermone voraſſet

Ad ſe ſponte caput nudus iturus eram.

Et cum nominibus multis venerabilis eſſet

Ante fores potuit, me retinere ſuas.

Atq; ita me tali faſto inuidere, ſibiq;

Optatum pariter, conciliare decus.

Iam neq; me riſit, nec quem cupiebat honorem

Abſtulit, ambitio ſic ſibi ſtulta nocet.

Vitioſa proles inhibenda.

Illis coniugium quouis eſt iure, vetandum,

Qui nobis orbem leproſis prolibus implent.

Impigra Paupertas

Vidi ego currentem puerum, vix ire potentē

Heu quam paupertas aſpera multa docet.

Cura per lignum.

Liberius genio ſape indulgere ſuaris

Non aſpernanda eſt Gaiaci potio ligni:

Quæ victus tencroſ ratione reducit ad annos

Sanari cura quisquis desiderat ista,
Sal, piper, & vinum declinat & omne quod acre est.
Et grauiora simul quæcuncq; negotia vitæ,
Parcè insulsa capit, sitibundus fercula, panis
Portio parua nec hanc superant obsonia, quæ non
Assa, sed insipidis elixa dabuntur in vndis.
Mensa die tenuis, bis ponitur absq; salino,
Et totidem vicibus proprio sudore lauamur.
Sic concreta diu, totumq; grauantia corpus
Phlegmata tolluntur, sic noxia quæq; fugantur
Vt velut infantes, geniti modo sanguine puro,
Spiritusq; nouis imbuti, limina vitæ
Tangere tunc primum videamur, & ire per annos
Præteritos, actæq; resumere tempora vitæ.
Sed tibi prefixam caueas excedere metam,
Namq; vel in minimo si plus ingesseris esææ,
Quam tibi præscriptum est discrimina certa subibis.
Cura suo fructu caritura est, & quibus ante
Vrgebare malis, grauius torquere, quam si
Tunc primum curam, properares æger ad istam.
Qui mihi non credunt hos experimenta docebunt
Quæritur hic animus patiens, parere paratus.
Angustoq; loco contentus degere, sed me
Vt finem faciam, res admonet, hoc tamen addam
Cura dies tot habet, quod præsens pagina versus.

Ad Gratianum.

Non ego te Domino puto, sed seruire tyranno
Qualis Tyberius, vel Nero qualis erat.

Inuidia Caium superaret cædibus Aulam
Si modo, quas habuit Caius, haberet opes.
Sed nuuc sola trucem cohibet fortuna Tyrannum
Sola vetat madidas esse cruore manus.

Quomodo pugnandum.

Confertis tantum fas est decernere dextris
Arguit illa viros pugna & sua præmia seruat
Fortibus, & palma potiore viribus ornat.
Talis erat magnum quæ nobilitauit Achillem
Pugna, nec in nostris quicquam Telamonius Ajax
Efficeret bellis, licet eminus Hectora fortem
Ad terram ingenti proiecito pondere fudit.
Non Anchisio: et trepidus qui morte futura
Apetit saxo, quod iam bis tollere senos
Vix dicas bene posse viros, locus omnis ademptus
Viribus & propria non iam virtute valemus.
Est aliud malum Cacodæmonis arte repertum
Hoc vno in nostris petitur victoria bellis,
Ars animusq; iacent nec habet victoria laudem.
Mille cadant vno, fortissima corpora, iactu.

Patientia nomen.

Si te laudis amor, si tangit gloria, non est
Vnde tibi laudis, plus peperisse queas,
Quam si facundi tibi copia suppetit oris
Posteritas auidè si tua scripta legat.
Hoc dedit Hortensi dedit hoc tibi nomina Tulli,
Eschinis hoc hodie, nonne in orbe tenet.

Hi

Hi simul æterna iacuisset nocte sepulti
Nec super vllius fama futura fuit.
Culta nisi vitam peperisset lingua perhennē,
Huic debet se quis nunc quoq; nomen habet.

Tentationes.

Si te non vincunt tentamina, sed magis à te
Vincuntur minimè sunt nocitura tibi

Ad Gratianum.

— Pessime tecum tua mater egit
— Nec minus tecum male frater egit
— Calibem qui te voluere per vim

Ducere vitam.

— Quanta naturæ bonæ perdidisti
— Quot malis & quam miserè grauaris
— Quæ tibi certò licuit cauere.

Coniuge ducta.

*Epitaphium Sebastiani ab Hausenstein Præsu-
lis Moguntinensis.*

Martis mense fuit natus, pariterq; fugatus
Raptus & è viuis hoc quoq; mense fuit.
Vita potest illi tamen hoc data mense videri.
Vt coleret Martis fortiter arma ferox,
Sed quia sanguineis pia protulit otia bellis
Semper ab aduerso vulnera Marte tulit
Æuo obiit medio Præsul bonus extitit annis.
Ille nouem, menses quinq; diesq; decem.

*Epitaphium Iohannis
Delphij.*

Delphius hūc iaceo, sed non sine fine iacebo,

Namq̃ suo surgens tempore viuus ero.

Cum tuba de Cælo totum tremefecerit orbē

Terribili feriens clausa sepulchra sono.

Tunc ego cum multis trepidus prodibo, feramq̃.

Pro factis Christo Iu dice digna meis

Ad Gratianum.

Iam pater es, quod aues, quoniā puer est tibi natus,

Qui tuus est, similisq̃ tui, tuus æmulus idem

Semper erit, sobolemq̃ sibi generabit, & illa

Sparget in hūc patriū genus & sua nomina mundū.

Spes incerta.

Certus credo Deo, sed quod non spero perinde

Certus, personæ sit ratione meæ.

Iacobo Trello.

Carmina præcipiti studio tibi scripta relegi

Quæ me quantumuis sæpe relecta iuuant

Esse tibi video faciles in carmina musas

Tēq̃ suis, quiduis neçtere posse modis.

Vnde tibi merito laus est tribuenda poëtæ

Præcipuum facias cum bene vatis opus.

Namq̃ poëtarum sapientia propria non est

Vt neq̃ composite perspicueq̃ loqui.

Hæc aliunde petunt numerisq̃ decentibus ornant,

Et faciunt blandis esse canora modis.

Sed tamen ista tibi simul omnia largiter adsunt

Debentur capiti laurea ferta tuo.

Sermo tibi cultus rerum tibi pondus & ordo

Suppetit & sensu dictio nulla vacat

Nulla supernacuis oneratus pagina verbis,

Mixtaq; sunt numeris friuola nulla tuis.

Atq; ideo tecum, liceat modo, multa liberet

Conferre, & monitis discere multa tuis.

Ista præsentem cras te fore scribis in vrbe

Que quanquam brevis est longa futura mora est,

Det Deus vt venias non impredientibus vllis

Sæpe breui longe nascitur ansa moræ.

Securitas Nocturna.

Cum vado cubitū mihi notus Onophrius inquit

Cum vestimentis omnes simul exuo curas

Quod dixit Credo quod fecit Credere nolo,

Quando multorum nimis experimenta repugnant.

Curarum morsus.

Ipse puer soleo mihi gaudia fingere mente

Qualia posse peti vix aliunde puto,

Certe nunc postquam puerilis desijt ætas

Venit & in mentem plurima cura meam

Non quæ consueui sentire reducere possum

Gaudia nam curis mens vitiata stupet.

Dictum Augustini.

Indocti rapiunt Cœlos nos artibus atq;

Instructi literis inferni claustra subimus.

Ad Iacobum ter marß,

Quæris vbi lateam qua mundi in parte quiescam

Quæue michi studijs sint loca lecta meis.

Hic

Hic vbi sancta trium sunt ossa recondita regum
Tinctaq; virgineo sanguine terra rubet.
Scilicet huc vectas non æqua sorte puellas
Impiâ districto conficit ense manus
His opibus certe se vasta Colonia iaciât
Vrbs spaciola quidem, sed populosa tamen.

Domus ad intrantes.

Pax vera intranti, pax vera sit hic habitanti.
Vera quies animi, pax vera sit egredienti.
Omnibus & pax sit, foris existentibus. At si
Qui pacem noluit, ad nos pax nostra redibit,
Nullus enim inuitus, pacem cogetur habere.
Quam vix inuentam, pauci potuere tenere.
Nam nil est melius, nil pace fugatius vna.

Ars occultanda.

Artificis non est artem ostentare, nec ille
Artem habet, hanc qui non dissimulare potest.

De tribus Germaniæ proceribus.

ô illo nimium Germania tempore foelix,
Quo sub te regnum totius orbis erat.
Flandria Cæsareo succedere vidit honori,
Illum, quem gremio fuderat ipsa suo.
Nec non obscuris, fuerant sua iure batauis
Gaudia, primates qui genuere duos.
Nam satus eloqui Princeps fuit inde latini,
Et penes hinc natum pontificatus erat.
Hæc vno pariter Germania tempore vidit,
Lætitiâ potuit, vix capere ipsa suam,

Posteaquam multis argumentis mihi vestra,
In discernendis rebus, prudentia nota est.
Ne cōsoleas te difficilem prębere roganti,
Cōsiliū, vel inditium: minime dubitauī,
Hęc duo sermonum, diuersa exempla, meorum,
Quos habui ad populum, delectos arbitrio eius,
Qui descripsit eos, transmittere, quo videas an,
Rectam dicendi formam sequar, an populari
More ferar, num sim breuior vel longior æquo.
Et mea partitio, num lucis non nichil addat,
Materiæ quam tracto, an conuenientia dicam.
Proposito, quare lege quæso, & crimine ab vno
Disce omnes, nā iuxta hanc formā sunt michi scripti
Omnes, quos habui sermones, hæctenus annis. (ui,
Pluribus, ad populum: nec quicquā vnquam recita-
De Cathedra in tēplis, quod nō prius ordine quali
Cunq; michi scriptū est, nā ex tempore dicere, nō est.
Ingenij aut animi nostri nec scripta aliorum.
Consului, non quod me confidam meliora
Scripturum, sed quod mala propria scribere malo,
Quam peregrina bona, hac etenim ratione puto me
Plus profecturum, quam si corradam aliena,
Quam libet arguta: opto esse illorum in numero, qui
Proficiunt scribendo, & scribunt proficiendo.
Certe omnes homines, habet omni tempore, sacra
Pagina, discipulos nec tantum discimus vnquam,

Vt non vltcrius, nobis discenda supersint.
His paucis valeas, vir prudentissimè, scripsi hæc
Delphius in pago, cui plurima, fraximus illis
Proueniens, nomen dedit hactenus, & dabit vltra.

Orandus quis.

Orandus Deus est, currendum semper ad illum est.
In vita solus qui retinere potest,
Omnia qui vitæ iura necisq; tenet,
Tollere qui morbos & mala cuncta potest,
Qui solus tristes exhilarare solet,
Qui solus steriles prole beare potest.
Fortia qui nobis redere corda valet,
Pellere qui curas & dare læta potest,
Tempora viuendi qui dare longa potest,
Omne malum solus qui remouere valet,
Omne bonum nobis qui dare solus habet,
Noxia qui solus cuncta fugare potest.
Quo melius nichil est pluraq; nemo potest.

FINIS.

FINIS

